



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus VII. Lectio spritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS VI. S. LAURENTIUS.

S. M. Laurentii grano sinapis Matth. 13. 31. possumus comparare, qui diversis attritus passionibus per totum orbem gratiam meruit sui fragrare Martyrij: qui antea constitutus in corpore erat humilis, ignotus, & vilis; postquam vexatus, laceratus, exustus, est; universis per totum Mundum Ecclesijs odorem suae nobilitatis infudit: Granum sinapis, cum teritur, accenditur: Laurentius cum patitur, inflammatur. Ardebat extrinsecus B. Martyr. tyranni saevientis incendijs; sed major illum intinsecus Christi amoris flamma torrebat. S. Ambr. Ex sermonib. l. 1. de grano sinapis.

Superari charitatis Christi flamma non potuit: & segnior fuit ignis, qui foris ussit; quam qui intus accendit. S. Leo de S. Laur.

Ecce B. Laurentius, transivit per ignem; quod non adustus inhorruit, sed illuminatus effulsi: transivit per ignem momentaneum, atque terrenum; sed flammam gehennae perpetuo exurentis evasit. S. Maximus hom. 3. de eod.

Ubi cor ardet, flammam membra non sentiunt: ubi CHRISTI ignis operatur, diaboli necesse est vincatur incendium. Id. hom. 2. de eod.

Etate cum esset junior, sensus tamen canos gerebat in corde. Sanct. Laurent. Just. de Sanct. Laur.

Tunc oblata est torrenda, & asfanda, martyrii nobilis illa Laurentij craticula: affectus est ferro; sed ille craticulam supplicij lectum quietis putabat. S. Chrysol. f. 135.

TITULUS VII. LECTIO SPIRITUALIS.

M. Oyses librum Job ex arabico convertit in Hebraeum, ut tenent Origenes l. in Job; Greg. M. in praefat. Isidorus l. 1. offic. Cur hoc fecit? cum esset, multis, & magnis, negotijs occupatus in Aegypto, videbat, quod filios Israel oderant Aegyptij &c. Cum ergo tantis laboribus essent oppressi, & forte vacillantes in fide; ideo Moyse proponit illis vitam patientissimi, & constantissimi viri; ut ab illo discant patientiam. Orig. l. 1. in Job. ut per cognationes, & tribus, haec legentes se invicem consolentur. Sylveira in Act. c. 19.

Unde poenitenti latroni tam subita pietas, ut agnoscat Christum Deum? Legit titulum Crucis J. N. R. J. nam post titulum affixum Luc. 23. 38. mox ejus conversio memoratur. Arnoldus tr. de 7. Verb. jam tunc ad hanc Scripturam latro pertinebat, & cum intrat se litera illae colligebant. Id. ibid.

Dignum profecto mirari Eunuchum illum. Act. 8. Non viderat Jesum Christum, non viderat signum; & credit Philipppo. Unde igitur talis factus? solita erat anima illius attendere Scripturis, vacare lectionibus. Cum latro viderit signa, & Magi viderint stellam; hic tale nil viderat, & credidit. Tanta res est, & tam utilis, Scripturarum lectio! Id. in Act. 8.

Cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. S. Aug. ser. 6. D. Pass. ferm.

Cum doctrina innocentium Patrum nostrorum pascimur; velut ubera sugimus, quibus ad alternam vitam nutriamur. S. Gregor. in 1. Reg. c. 6.

Qui sacrorum studiosus est librorum, jure etiam dici poterit amator Christi. S. Chrysol. f. de pseudo Prophetis.

Cum Scripturam sanctam legimus, Verbum Dei tractamus, Filium Dei per speculum, & in enigmate pra oculis habemus. Et revera, si benevoli lectores sumus, si benevoli auditores lectioni assistimus; legendo, vel audiendo, accendimur; legendo, vel audiendo, ad amorem Dei proficimus. Nonne ergo de Scriptura S. nobis amor Dei processit? Quid autem est amor Dei? nisi Spiritus Dei. Proccedit donum ex Patre, ut per Scripturam intellectam cognoscamus Filium Patris: procedit nobis amor ex intelligentia Scripturae; ut amemus Patrem Filij, ut diligamus Filium Patris. Nonne ergo jam nobis etiam hoc modo Spiritus S. ex Patre, Filioque, processit: Rupert. l. 1. de ap. Spir. S. c. 6.

Legendo Christi Passionem, & SS. Martyrum passiones, rosa rubrae in libris Ecclesiasticis quaeruntur: meditando, & orando, inveniuntur; juste, sobrie, caste, & pie vivendo, carpuntur. & servantur. Thom. Kemp. f. 8. p. 3. ad Novit.

Exempla.

Sanct. Fulgentius lectio Sanct. Augustini in Psalm. 36. commentario, ad aeternitatis beatae, Deique amorem, adeo exarsit; ut se Deo in religione transcriberet. S. S. S. v. c. 3. 1. Jan.

S. Carolus M. Imp. in mensa lectionem Sacram, praesertim ex libris S. Augustini, adhibuit. Bolland. 28. Jan.